



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

3. Misericordia Dei quomodo se habeat ad Spem, qua Parietem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULVS III.

MISERICORDIA DEI

Quomodo se habeat ad Spem, quæ Parietem.

QVONIAM pollicitus est hominibus DEUS, quod minimè illis debebat, ex Misericordiâ, idcirco hæc meritò concipitur, ut *Nexus* ærei illius fundamenti, quod Coronæ instar, imam Parietis Spei partem ambit. Quare plurimum debet Spes Misericordiæ, qua subtracta paries ille facillimè corruit. Hinc S. Bernardus Sermone LXI. in Cant. ubi differit de divitiis Divinæ Misericordiæ in foraminibus Vulnerum Christi, *Meum*, inquit, *meritum*, id est, initium, basis, fulcrum confidentiæ, Spei, meritorum, est *miseratio Domini*. Non planè sum merita inops, quàm diu ille *miserationum non fuerit*. Quod si misericordia Domini multa, multus nihilominus ego in meritis sum. Et præclare S. Hilarius in Psalmum LI. Non enim illa ipsa *Iustitiæ opera* sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi Misericordia DEI etiam in hac *Iustitiæ voluntate* humanarum demutationum, & motuum non reputaret vitia. Spes igitur in misericordia DEI in seculum seculi. Nimirum, admiscetur bonis fidelium operibus multæ imperfectiones, defectus, peccata, quamvis venialia, quæ indigent misericordia Domini, DEI que indulgentia & remissione, ut beatam nostram Spem assequamur & salvemur.

Huc spectat in genua illa confessio S. Augustini libro tertio contra Cresconium cap. VII. *Ad existimationem magnum magna testium, qui me noverunt suppetit copia: ad DEI verò conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cum intrepidam geram; non me tamen sub oculis*

Omnip-

Omnipotentis justificare audeo, magisq̄ ab illo affluentem misericordie largitatem, quam Iudicis summum examen expecto. Et illud S. Ambrosii, qui in extremo vitæ suæ ita circumstantes alloquebatur, ut refert in ejus vita Paulinus: *Nec sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quæ verba S. Augustinus, ut narrat Possidonius, & admirabatur & laudabat, dicebatq̄ ab Ambrosio prolata, ne præfidens crederetur de sum purgatissimis moribus præsumere: Spem enim suam maximè in Misericordiæ divinæ fundamento locandam non ignorabat. Est etiam S. Bernardi illa observanda doctrina: Epist. XLII. Utilissimum esse coram Deo non justitiam prætere, sed misericordiam postulare. Didicerat scilicet orandi formulam Domino gratissimam, quam usurpabat Propheta Daniel cap. ix. *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

ARTICVLVS IV.

MERITA CHRISTI

Sunt Lapidés Parietis Spei.

CORONÆ hætenus descriptio imponuntur firmissimi Lapidés, & saxo quolibet quadrato fortiores ita vocor. MERITA CHRISTI Salvatoris Nostri, ex quibus *Spes-Pariés*, tanquam lapidibus, construitur. De his lapidibus accipio illud Tobiaë XIII. de prædicantis puritatem & simplicitatem Ierusalem: *Ex lapide precioso omni circuitus murorum ejus.* Quid preciosius sudore, Sanguine, meritis Christi? Ob hanc causam CHRISTUS dicitur

SPES